

362

360

366

autem nocturnos labores et inquietudines statim expulsis nobis  
de templo cogimur ad alia loca visitanda transire, et iterum  
laborare, et ita peregrini nimis attenuantur vigiliis, jejuniiis,  
et laboribus, et vix conceditur eis tempus modicum mandu-  
candi. Et ideo gravis modus nunc est quoad hoc, quamvis  
aliis respectibus melius sit illud, quam aliud. Ego enim multo  
libentius volo per noctem esse in ecclesia clausus, quam per  
diem.

356

371

351

411

**De diversis hominum generibus in ecclesia sancti  
sepulchri habitantibus.**

311

Sicut diversitas creaturarum decorat universum et crea-  
torem mirabilem et perfectum ostendit, sic diversitas gentium,  
morum, linguarum et rituum plurimum decoraret ecclesiam  
catholicam, et Redemptorem nostrum mirabilem et perfectum  
ostenderet, si inter illa odiosa perversitas gentilium, haereti-  
corum, et schismaticorum minime invenirentur, quamquam  
etiam ex ipsis mirabilis Deus et perfectus ostendatur. Eccle-  
sia sancti sepulchri pulchrior est cunctis ecclesiis mundi ex  
diversitate gentium in ea Deum laudantium, redditur tamen  
deformis et monstruosa ex erroribus horribilibus intrantium  
eam. Olim enim ingrediebantur Christiani de toto mundo, et  
omnibus linguis sine erroribus, sine perfidiis, sine supersti-  
tionibus Deum colere volentibus, et non intromittebantur  
excommunicati, schismatici, haeretici praescisi, quibus iam,  
heu, templum plenum est, quibus ipsa basilica sordet. Sunt  
autem VII differentiae Christianorum in hoc templo, quorum  
quaelibet habet suam propriam sectam, proprium ritum, pro-  
prium chorum, cum diversis erroribus et damnosis etiam in  
substantialibus fidei. De quorum erroribus longum nimis  
esset hic dicere. Si cui autem placet aliquid de his videre,  
legat peregrinale domini decani moguntinensis ecclesiae, quod  
loco sui confecit venerabilis sacrae theologiae professor egre-  
gius, Pater Martinus Röth, Conventus phorcemensis Ordinis  
Praedicatorum, qui, uti vir doctus, multa de erroribus habi-  
tantium in Jerusalem gentium accurate disseruit per longum  
in eodem peregrinali. Ego vero ad posterius nihil, vel parum

461

261

Ende

Anfang

